



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Compendium Cæremoniarvm In celebratione Diuinorum Officiorum Observandarvm

Jacobs, Johannes

Antverpiæ, 1621

IV. De obseruandis circa pacem deferendam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40844**

summitatem catenularum sinistra sua ponet in dextram, & easdem catenulas prope thuribulum dextra sua in sinistram ipsorum, quò ipsi commodè vlteriùs porrigant ad manus Celebrantis.

## CAPVT IV.

## De obseruandis circa pacem deferendam.

*Ex Cer.  
lib. 1.  
cap. 24.  
& 29.*

*Lib. 1.  
c. 10. &  
30. &  
l. 2. c. 8.*

I. **D**Eferens pacem obseruabit, vt nulli eorum quibus pacem daturus est, quantumlibet magno, vllam reuerentiam faciat, antequam pacem det, quia ante non habetur consideratio ministri deferentis, sed pacis quæ à sacrificio altaris defertur (& eadem est ratio de Euangelio quod defertur osculandum) post verò datam pacem faciet reuerentiam pro qualitate eorum qui pacem acceperunt; qui etiam in reuerentia correspondebunt. Dum autem eundo ad chorum & redeundo,

trans-

transit ante Episcopum vel altare, seruabit debitas reuerentias, prout supra cap. 2. num. 3.

Lib. 1.  
cap 7.

2. Illis qui sunt de clero pax datur sinistris genis sibi inuicem appropinquantibus, eo qui dat dicente **Pax tecum**, & altero qui accipit respondente **Et cum spiritu tuo**: iis verò qui sunt de magistratu ac nobilibus datur, prout in Missis priuatis, cum instrumento, quod instrumentum deferens pacem prius osculatur. Ordo autem dandi pacem in choro idem erit, qui seruatur in thurificando, de quo infra c. 15. n. 6. nisi quòd pax à ministro detur solum primo cuiusque ordinis, qui dat alteri sequenti, & ille subsequenti, & sic deinceps vsque ad vltimum eiusdem ordinis.

Item  
Miss. in  
ritu  
celebr.